

LUNAE DIE 2^om. APRILIS
a.d. IV NONAS APRILES



a^o 1984^o
MCMLXXXIV

Nus 1



Editionis obnoxia: Diana LICOPPE, avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan
1040 BRUXELLIS Tel. 734 55 42

AD LECTORES

Post seminarium Latinum ad litus Belgicum mense Augusto anni 1983i feliciter peractum, nonnulli sodales ex diversis Belgicis regionibus oriundi, sibi proposuerunt ut unoquoque mense convenirent ad sermonem Latinum exercendum. Cuius propositi non obliti, sodales Latini iam compluries convenerunt. Per sessiones non tantum hilare sermocinabantur et iucunde una prandebant vel cenabant, sed etiam fabulas historiunculasque sibi conscriptas coram recitabant. Inde sodalibus circuli nostri in mentem venit commentariolos periodicos edere ad commercium Latinum ultra fines circuli nostri, quin etiam regionis nostrae, dilatandum.

Propositum nostrum est consuetudines cum hominibus quam plurimis iungere ut latinitatem vivam hodiernam inveniant.

Lex commentariorum periodicorum nostrorum erit lingua simplici quamvis emendata uti, ut scripta per facile legi possint.

Materia in initio nobis videtur dividenda in tres partes.

Prima pars, quam generalem dicam, de quibuslibet rebus hodiernis cottidianisque tractabit. Qua in parte monstrabitur quomodo omnia hodierna Latine referri possint. Lectores invitantur ut de scriptis editis sententiam suam ad nos mittant, etiam res inserendas proponant et nos certiores faciant quid in commentariis periodicis legere cupiant. Omnes latinitatis cultores invitantur ut nobis scripta edenda proponant. Oportet tamen sciant omnia scripta, quae eligentur edenda, emendatum iri a collegio universitatis professorum, qui nostrorum commentariorum grammaticalem convenientiam susceperunt observandam.

Secunda pars destinabitur philologis, ut selectos textus proponant e quibus pateat quantum vigerit latinitas post Imperium Romanum dilapsam usque ad aetatem nostram. Quos textus commentariis augere licebit tantum Latine conscriptis.

Tertia pars scholarum discipulorum erit. Ibi proponentur adiumenta didactica plerumque ludicra. Discipuli sua scripta inserenda etiam mittere poterunt.

Praesertim optamus ut illorum commentariorum ope quam plurimi homines inveniant sermonem Latinum in pristinam dignitatem restitui posse atque commercium Latinum maximae utilitati fore gentibus Europaeis iterum coniungendis.

Cum nomen sit omen, commentariorum periodicorum nostrorum nomen erit "MELISSA". Hoc signum quod invenitur in hieroglyphicis litteris, nobis opportune videtur cum MELISSA coniungendum, ut meminerimus radices cultus civilis nostri ad antiquissimos Aegyptios descendere. Melissa Graece significat apem. Quod Graecum nomen consulto elegimus. Nam etsi nobis propositum est commercium Latinum instituire, oportet tamen semper meminerimus neque linguam Latinam, neque cultum civilem nostrum seiungi posse a litteris Graecis.

Evolet ergo ad vos MELISSA late in orbem terrarum et vobiscum decerpat ingenii divitias omnis aevi!

Valete et favete

Gaius LICOPPE
Bruxellensis

Singularis numerus 20 francis Belgicis constat.
Postea proponetur subnotatio annua.

DE GOLIARDIS

Multi sunt qui censent omnes scriptores Latinos solum esse homines graves et tristes et eruditos qui de rebus seriis scribant. Nos scimus hanc opinionem falsam esse.

Certe multi graves eruditi Latine scripserunt, sed fuerunt omnibus temporibus latinitatis cultores qui sermone Latino usi sunt ad res leves et iocosas ^{† verbis} exprimendas.

Inter hos scriptores mihi valde placent ~~†~~ Goliardi qui more nostrorum modernorum "beatniks" temporibus mediaevalibus, seculo XIII^o, magnas vias Europaeas peragrabant. De his Goliardis bonas paginas scripsit Johannes-Petrus Foucher in libro qui inscribitur: "La littérature latine du Moyen-Age" quas ~~†~~ praesertim sequor.

Hi clerici vagantes, semper ambulantes et sub dio, ingens turba erat pauperum et erraticorum praestigiatorum qui ubique canebant rebellionem, amores, voluptates. De his Goliardis non iam omnia bene sciunt historici, quamvis multi, praesertim in Germania, de illis scripserint. Semetipsos considerabant ut sodales cuiusdam Ordinis Vagorum, ad irrisionem, ut mihi videtur, horum ordinum monachorum militum qui tunc temporis vigeabant. Edmond Pognon, in capitulo "Littérature latine médiévale" tomi secundi libri qui inscribitur "Histoire des Littératures" (éd. La Pléiade), dicit hos iaculatores Latinos, qui societatem vere clausam formabant, sese Goliardos nominavisse quia sese considerabant ut discipulos cuiusdam poetae mythici qui nominabatur Goliass.

Mirifice magnus est numerus eorum.

Amabant tunc iam urbem Parisiorum quam declarant omnes "Rosam Mundi". Ambulabant sine intermissione quasi Oedipodes errantes ab alia urbe ad aliam urbem, ex alio regno in aliud regnum, quia semper a quodam principe vel episcopo expellebantur, ut adhuc Isigani nostri. Ecclesia ~~†~~ [†] vagantes oderat, qui legi "ubi stabilitas ibi religio" non oboediebant. ~~†~~ [†] Hi gyrovagi, ut aves silvestres, erant liberi. Sic multa concilia decreverunt contra Goliardos, velut in concilio Rotomagensi (1072) "ut monachi vagi ad monasteria sua redire compellantur", in concilio Castelli Gautier (1231) "de Goliardis", in concilio Senonensi (1239) "statuimus quod clerici ribaldi de familia Goliass", in concilio Salisburgensi "de clericis iaculatoribus, in concilio Moguntiacensi "de clericis vagabundis" atque in synodo Arretensi "de poenis clericorum choreizantium vel sonantium instrumento".

Sic videmus potentes terrae hos pauperes poetas non valde dilexisse, ut iam antea Homerum. Attamen carmina horum filiorum Goliass manent ut exempla purissima artis poeticae temporum mediaevalium et illos possumus iam tribus seculis ante ut antecessores francisci Villon reputare qui multum illis debet. Inter hos Goliardos celeberrimus erat ille Archipoeta (1130-1180), vates vatum, cuius verum nomen nemo scit. Carolus Langosch carmina huius Archipoetae edidit ~~†~~ [†] editoria [†] "Reclam". Sic nunc facile possumus hoc pulchrum opus in manibus habere. Sed gustate vosmetipsi pulchritudines horum carminum.

Ecce exempli gratia (indico numerum poematum editionis Caroli Langosch) :

I frigore sive fame tollitur spiritus a me,
Asperitas brumae necat horriferaeque gelu me,
continuam tussim patior, tanquam tussicus sum,
sentio per pulsum, quod non a morte procul sum.

IV 1. Lingua balbus, hebes ingenio
viris doctis sermonem facio,
sed quod loquor, qui loqui nescio,
necessitas est, non praesumptio.

36. Sic sum pauper et sic indigeo
quod tam siti quam fame pereo.

46. Nobis vero, mundo fruentibus,
vinum bonum saepe bibentibus
sine vino deficientibus. (19?)

V Loca vitant publica quidam poetarum
et secretas eligunt sedes latebrarum.
Tales versus facio, quale vinum bibo,
nihil possum facere nisi sumpto cibo,
nihil valent penitus quae ieiunus scribo,
Nasonem post calices carmine praeibo!
Poeta pauperior omnibus poetis,
nihil prorsus habeo, nisi quod videtis,
unde saepe lugeo, quando vos ridetis.
Nec me meo vitio pauperem putetis!

VII Aestuans intrinsecus ira vehementi
in amaritudine loquor meae menti :
factus de materie levis elementi
folio sum similis, de quo ludunt venti.
Quicquid Venus imperat, labor est suavis,
quae nunquam in cordibus habitat ignavis.
Voluptatis avidus magis quam salutis.
Unicuique proprium dat Natura donum.
Ego versus faciens bibo vinum bonum.

Sed carmina celeberrima Goliardorum sunt carmina Burana a Carolo Orff modis musicis adaptata. Inventa sunt in vetere libro manuscripto monasterii Bavarici Benedictbeurn de quo loco venit nomen "buranus". Hic manuscriptus liber enchiridion erat cuiusdam Goliardi qui florilegium carminum quae canebat constituit. Ecce ex hoc libro quaedam pulchra carmina, quae citat J. P. Foucher :

O fortuna
velut luna
statu variabilis
semper crescis
aut decrescis.

Hic liber est verus thesaurus poematum goliardicorum : insunt carmina amatoria, bacchica, hymni sodalitatatum, carmina mendicorum, carmina satyrica de Papa et de Curia Romana.

Ecce carmen celebre:

Propter Sion non tacebo
sed ruinas Romae flebo.
Quousque iustitia
rursus nobis oriatur
et ut lampas accendatur
iustus in ecclesia.

Etiam adversus milites canebant. Carmina dulcissima canebant de amore. Ecce aliquid ad amatam puellam scriptum:

Ave formosissima, gemma pretiosa
ave decus virginum, virgo gloriosa,
ave mundi luminar, ave mundi rosa,
Blanziflor et Helena, Venus generosa.

Aliud exemplum:

Suscipe flos florum
quia flos designat amorem.
Illo de flore
nimio sum captus amore.

Etiam carmina bacchica quae nunc semper in studiorum universitatibus Germanicis canuntur compositae. Exempli gratia:

Iam dulcis amica, venito
quam sicut cor meum diligo,
intra in cubiculum meum
ornamentis cunctis onustum.

Vel hoc:

Ego fui sola in silva
et dilexi loca secreta

Vel: Carissima, noli tardare
studeamus nos nunc amare.

Hf Ut videmus, ~~et~~ corda nostra semper possunt Goliardi attingere et carmina horum pauperum vagorum animos nostros semper tangere queunt. Et, mea sententia, in operibus Caroli Baudelaire et Arturi Rimbaud adhuc hereditatem Goliardorum sentire possumus. Videte exempli gratia carmen Latinum Caroli Baudelaire in "Les Fleurs du Mal":

Franciscae meae laudes:

Novis te cantabo chordis,
o novelletum quod ludis
in solitudine cordis.

Sicut beneficium Lethe
hauriam oscula de te,

Velut stella salutaris
in naufragiis amaris
suspendam cor tuis aris!

In fame mea taberna
in nocte mea lucerna,
recte me semper gubernata.

Patera gemmis corusca
panis salsus, mollis esca
divinum vinum, FRANCISCA.

Spero vos nunc etiam amatores esse illos poetas Goliardos qui, quasi fontes purae poeseos, scaturiebant.

ae
Aeneas Divutius
Bruxellensis

ANDREAS ROBBE MORTUUS



Summo cum stupore ac maerore ab eius uxore telephonice didici amicum nostrum Parisiensem, Andream Robbe, inopinanter mortuum esse.

Vir theatricus erat. Cum choragi munere in Theatro Melodramatico Parisiensi fungebatur (Régisseur du Chant au Théâtre National de l'Opera), iam quinquaginta circiter annos natus, linguam Latinam addiscere coepit, id quod ei adulescenti in schola facere non licuerat.

Anno 1974° seminarium Latinum Iutzingense in Bavaria superiore ad lacum Virmium participavit, ubi P. Caelestem Eichenseer, seminarii moderatorem, primum convenit. Postea nonnullis aliis seminariis interfuit, exempli gratia Herfordiae in Germania et Selesstadii in Alsatia.

Recte lauteque Latine scribere didicerat. Etiam Latine libenter sermocinabatur. Quaedam historiuncula ab eo conscripta in commentariis periodicis, cui titulus "Latinitas", divulgata est.

Latinitatis beneficio cum Andrea Robbe iam ab hinc octo annis consuetudines feceram. Cum vir theatricus esset, eum rogaveram ut nos adiuveret ad adaptationem cinematographicam comoediae Plautinae "Rudentis" conficiendam. Cuius operis choragum esse libentissime acceperat. Crebra itinera Bruxellas fecit ad actores docendos usque ad superiorem aetatem, quo tempore comoedia ^{coram} ~~coram~~ instrumentis ^{cinematographicis} ~~cinematographicis~~ feliciter acta est. //0

Etsi Theatro Melodramatico Parisiensi ante tres annos dimissus erat, multum tamen laborare pergebat et melodramata e proscaenio docebat ubique Francogallicae.

⊗ melius: ante instrumentum cinematographicum

Saturni die 24° mensis Martii, cum domi in graphico laborabat, inopinato cordis defectu subito periit, (n sexaginta duos annos natus.

Iovis die, eius exsequiis adfui cum filiabus. Gradus parvae Dravernensis ecclesiae ("Draveil" iuxta Parisios) multis multicoloribusque ^{peris} ~~peris~~ e floribus ^{restis} ~~restis~~ extracti erant. Curio, cum illum Latinitatis cultorem fuisse scivisset, missam Latine celebravit. Postea corpus secuti sumus ad coemeterium vici Senart. Uxor me rogaverat ut ante sepulturam verba Latina facerem. Quare, perfrigentibus praesentibus, silentibus tamen, dixi haec:

"Duae sunt tibi familiae, Andrea, altera naturalis, altera Latina.

Cum ante duodecim circiter annos, solus et tua sponte, linguam Latinam addiscere coepisti, tantum sperabas inter populares tuos nonnullos invenire sodales quibuscum sermonem Latinum iucunde exercere posses. Mox tamen invenisti Latinitatem saepa inter gentes tollere. Ubique Europae novos invenisti affines et amicos, pro quibus cunctis nos hodie venimus tibi suprema soluturi.

Culmen Latinarum rerum gestarum tuarum fuit hoc opus cinematographicum e comoedia Plautina Rudente confectum, quod praeterito anno una feliciter perfecimus. Gaudeo quod ante duos menses, Bruxellis, tibi licuit triumpho illius operis frui, cui tantam dederas operam.

Usque ad supremum diem semper strenue laborasti. Velut miles, subito mortuus es in opera.

Iui exempli non erimus immemores.

Sit tibi terra levis, care Andrea."

G.L.

plurimum prodest seminariis interesse, quae ante decem circiter annos moderari coepit P. Caelestis Eichenseer. Ille cum antiquae tum recentioris latinitatis peritissimus est. Nemo in orbe terrarum uberius vel expeditius Latine loquitur quam ille. Insuper est praeceptor expertus, patiens et iocosus.

Hoc anno habebitur IIum SEMINARIUM VESTENDENSE a die 18^o in diem 25^{um} m. Augusti ad litus Belgicum in aedibus festivis "Zon en Zee", Vakantielaan, 1

B-8440 Middelkerke-Westende.

Seminarii impensae sunt 2.400 franci Belgici pro institutione et 5.400 f.B. pro hospitio, alimonio usque ludorum athleticorum. Illi, qui participare volunt, epistulas mittant ad Melle Diane Licoppe, av. de Tervueren, 76 /B-1040 Bruxelles.

DUO ALIA SEMINARIA etiam hoc anno habebuntur, alterum BOTTROPII, in urbe Rhenaniae Vestfalicae, a die 29 m. Iulii in diem 11 m. Augusti, alterum SELESTADII in Alsatia, a die 22^o in diem 28^{um} m. Iulii. Illi, qui alterutrum participare volunt, mittant epistulam ad sedem "Vocis Latinae": Vox Latina / Universität des Saarlandes- Fach 6.3 / D-6600 Saarbrücken 11.

Etiam FERIAS LATINAS abhinc tribus annis instituere coepit Opus Fundatum "Latinitas". Quo nomine moderator commemorare voluit illas "Ferias Latinas", quas post mortem Latini Aeneas traditur instituisse. Romae postea usque ad inferioris Imperii aetatem esse celebratas...Ludi quoque scenici tunc fiebant aliaque praebebantur spectacula ut illae feriae a toto populo una cum magistratibus hilariter iucundeque celebrarentur."(Latinitas, Mens. Sept. An. MCMXXXII)

Ferias Latinas hodiernas moderatur Suitbertus H. Siedl O.C.D., professor in studiorum universitate Iuvavensi(Salzburg) in Austria. Multas linguas callet, etiam linguam Hebraicam antiquam atque hodiernam. Sua methodo sermonem Latinum cottidianum docet, dum participes ferias agunt in quodam amoeno loco, seu hiemali, seu aestivo tempore. Proximae feriae habebuntur MATRIII(Madrid) in Hispania tempore Paschali. Postea feriae habebuntur OLBIAE(Hyères), prope meridionale Francogalliae litus, in castello "La Castille". Quas ferias praeparant Coletta Ronchaud, quae superiore anno seminario Vestendensi interfuit, et Clemens Desessard, auctor libri, quo lingua Latina docetur methodo "Assimil". De quibus feriis participandis, litterae interrogatoriae mittendae sunt ad Melle Colette Ronchaud / "Les Jardins du.Roy", rue Soldat Ferrari / F-83400 Hyères.

A B C D E F G H I

I									
II		■			■		■		
III									
IV					■		■		
V									
VI							■		
VII		■			■		■		
VIII									
IX		■			■		■		■

Nonnulla discipulorum scripta iam accepimus. Unum tantum, velut exemplum, edimus; deest enim spatium in hoc primo numero.

Discipulos rogamus ut scripta suis magistris ostendant emendanda. Sed, si negaverit magister, scripta talia qualia sunt ad nos tamen mittant.

Discipulus instituti in oppido Hoegaarden siti nobis scripsit haec: "Fortasse ante aliquot menses in actis diurnis, quibus nomen "De Standaard", scriptum invenistis, ubi de "Viva Latinitate" tractabatur. Fortasse etiam meministis nominis illius nostrorum magistrorum, quocum diurnarii collocuti erant. Est Renildus Cappelle. Cuius nomen verisimiliter vobis nihil significat. Nobis vero multa significat; est enim praeceptor noster. Postquam e tertio in quartum annum progressi sumus, ille magister per quinque horas singulis septimanis nos litteris Latinis obtundit. Idem est qui nos hortatus est linguam Latinam non solum pro veterum Romanorum lingua habere, sed etiam pro sermone, quo nostris temporibus cottidie uti possimus, eodem fere modo ac sermone Nederlandico patrio sermone nostro. Certe in initio res nobis difficilis visa est, sed post annum animadvertimus nos in dies facilius et intellegere et loqui. Nulla superfuit dubitatio, postquam duo nostrum seminario Latino, quod superiore aestate in vico Westende habitum est, interfuerunt. De quo ambo laetissimi erant et nos rogaverunt commentariolos Latinos conscribere vellemus..."

Iohannes Van Assel

VERBA CONSERENDA A DOMINICO MORIS EXCAGITATA TRANSVERSA

- I Omnia verba cuiusdam linguae.
- II Huic . lute.
- III Non iam velle.
- IV Plus quam "molo".
- V Animi non ibi vivunt (genetivo casu).
- VI Agitat. Quadraginta.
- VII. Cunctae leges.
- VIII Litterae ex "unde". Cantuum.
- IX Non sedebas.

VERTICALIA

- A Comoedias scripsit.
- B Hibernarunt.
- C fit cum aliquid movetur.
- D Eo ad scribendum utimur. Propter.
- E Ea celeriter (nisi in urbe!)vehimur.
- F Sed. Parva moneta.
- G Evertere. Friburgum Nuithonum.
- H Velut.
- I In eo non videmus.

Responsa in proximo numero